



502.

EX POLITICIS
APXONTOMA-
XIAN

CIRCA SACRA

PRÆSIDE

M. JO. CHRISTIANO
BVCCIO,

Grafenhayna-Saxone, Alumno
Electoralis,

VII. Eidus Martias, clō Iōc XCVIII.

Publice inqvirendam
exponit,

RESPONDENS

JO. CHRISTIANVS WENZEL,

Grafenhaynenfis - Saxo.



VITEMBERGÆ,
Prelo SCHVLZIANO, Acad. Typogr.

MAXIME REVERENDO, DOCTRI-
NAQVE ET VITÆ PIÆ EXEMPLO LAUDA-
TISSINO, CLARISSIMOQVE

VIRO,

DOMINO

M. DANIELI SCHUL-
ZIO,

Diacono Ecclesiæ Torgensis fidelis-
simo meritissimoqve,

DOMINO EVERGETÆ FAU-
TORIQVE SUO MAXIMOPE-
RE VENERANDO,

Dissertationem hanc consecrat

*Plurimorum maximorumqve
ab illo in se collatorum
beneficiorum
memor*

PRÆSES.

SUMMARIUM DISSERTATIONIS.

I. Origo multarum, Ἀρχὴν μαχῶν in Politicis notatur, ἡ δὲ Ἀρχὴ τοῦ αἵματος, quæ est presentis instituti, unaque ἀρχὸν τοῦ αἵματος indicantur. III. Tractandi ratio exponitur. IV. Potestas Principum circa Sacra definitur. V. Explicatur Nomen. VI. Genus. VII. Causa efficiens. VIII. Finis. IX. Objectum. X. Forma. XI. Subjectum, de quo potissimum queritur XII Idem Confirmatur. XIII. Sententia adversariorum ostenditur, XIV. Argumenta eorum fortiora perstringuntur.

I.
Suis equidem limitibus unaquæque circumscripta est disciplina, quibus continere se debent ingenia, nisi in ea, quæ sunt alienæ ditionis, involando, cum pudore repelli, tractationisque perturbatæ & confusæ accusari velint. Non potuit tamen immoderata multorum licentia rei vel indignitate vel periculo deterreri, quin distinctas totoque cælo differentes artes scientiasque commisceret. Si attingeret, complura enumerarem, verum in illis mihi persistendum puto, quæ aut accedunt omnino ad caput tractandum, aut certe quam proxime absunt ab illo. Sapientiæ disciplina nempe est quoque illam perpessa injuriam, ea præsertim pars, quæ ad mores humanos formandos ac moderandos valet. Quis nescit libros pio quidem, ut videtur, sed non satis accurato instituto conscriptos, quorum æa facies est, ut dubites utrum a Philosopho an Theologo profecti sint? Utinam vero magnis quibusdam viris, quorum exemplo & auctoritate facile aliis corruptelarum illecebræ dulcescunt, idem error non obrepisset. Utinam item civilium rerum doctrina non esset similiter turbata, ut sæpe cum tædio Juris civilis argumenta, aut singularium imperiorum explicationem in mediis Politicis, sicut in Ethicis nonnunquam Theologiam, quam moralem vocant, legere non necesse haberemus. Neque illud tantopere conquerendum videtur, quod aliena inepte, quam hoc, quod falsa etiam subdole ex aliis disciplinis in alias illata videmus. Inde enim multi, quas de sacris rebus animo imbiberunt falsas opiniones, in hunc etiam campum traduxerunt. Atque ex his nunc facile intelligitur, minus mirandum esse, quod non pauci male de Principibus sentientes in sacra doctrina, malam sententiam huc etiam attulerint.

II. Jam' vero animus non est, omnes omnium complecti ac per-
censere hic nefarias adversus Principes machinationes, cum eam
causam duntaxat perlustrare cupiamus, quæ indicio est, eos Politi-
cos, qui Hierarchiæ Tiberinæ student, non dissimulanter adversari-
os esse Principibus eorumque summa jura aperte oppugnare, quæ
divinitus concessa ipsis sunt circa sacra. Id quod tamen non dubito
facere plerosque non alia ratione, quam *Bartolus* defendit Donatio-
nem Constantini evanidam, quia videlicet sunt in terris Ecclesiæ, in *pref.*
ff. n. 14. Quemadmodum vicissim inter ipsos non desunt, qui ex ani-
mo id agunt, ut summis potestatibus non nisi umbra & imago Ma-
jestatis in negotiis sacris supersit, & qui calamo æque atque armis se
opposuerunt auctoritati imperantium. Multi illam statuerunt pro-
scribendam, cæteri igne ferroque delendam, *Bernhardus* ille mona-
chus veneno cum *Henrico VII. Imp.* enecandam. *Lehm Chron. lib. VII.*
c. X. seqq. P. Æmilius lib. VII. *Jacobus Clemens* alique parricidæ in *Gal-*
lia sicis execandam, *Henricus Garnettus* cæterique orci Satellites,
quos furo suo innocentes non reddit tribulis *Dan. Bartolus*, in *Ang-*
lia pulvere pyrio exurendam dissipandamq; *Vid. Hist. Satyrico Bar-*
claji subjuncta, ut. Rob. Ayton. P. I. Del. Poet. Scotorum p. 65. & Owen. l. III. ep. 201
& 202. Ecquid non fecerunt? Germaniæ charissimæ vicem doluerunt
quoq; exteri, in qua fortissimis Imperatoribus data securitas, aut mo-
lestiarum saltem maximarum intercapedo non est, donec iniquissimis
istorum hominum cupiditatibus obtemperaretur, omnisq; circa sacra
auctoritas cum jure investiendi Episcopos *Calixto II. Pontifici* anno
1122. *Vormatiæ* in comitiis cum summo imperii detrimento concede-
retur, quibus de rebus *Orbo Frising. L. VII. & Lud. Maimburgi Hist. de la*
decadence del' Empire. Tametsi vero hoc tempore æstus ille deferbuis-
se videatur, quia non amplius tanta fulminum vi sese prodit, ut ma-
gnopere sentiat: tamen, dum laudant nefarios illos parridas,
Principes superstitione a jurium suorum defensione avocant, omni-
aque faciunt, quæ ad minuendam principum attenuandamque po-
testatem pertinent; certum habemus, non extinctum esse, sed igni-
culos in cineribus latere suo tempore subinde erumpentes in regia-
rum illustrissimarumq; domorum incendia, cum aura modo securi-
tasque hominum id fieri patitur. Testes sunt lites cum *Lusitano* su-
periori anno de missionariis ablegandis habitæ; testis controversia
de

de Regaliarum jure, quam illustrant plurima post Maimburgi emis-
sa scripta, testes technæ, quibus Britanniam diu petunt, testis impe-
rium Germanum, in quo, quæ suis Dominis restituta sunt jura, qui-
bus artibus cuniculisque repetere conantur? Ignatiani certe, Papæ,
ut *Guido Patinus* vere appellat, prætoriani multos jam annos omnem
suum laborem atque diligentiam ad obtinendam universalem Mo-
narchiam conferunt, quam ex ruinis imperiorum condere volunt,
id quod sentit *Rou in Not. ad Maimburgi Hist. Calvinismi*. Nec alia pro-
fecto fuit causa, quod Anglia anno 1605. funestas illas rerum publica-
rum pestes expulerit, Veneti eodem fere tempore dimiserint his ver-
bis: andate mai ritournate, Gallia toto regno anno 1549. excedere
jusserit. Haud inique igitur *Arturus Jonstonus in Epist. Biomeæ ad Sara-
victorem ext. P. I. Delic. Poët. Scot. p. 471. seq.*

Impia gens tota est, armat cui perdit a mentem.

Ambitio, linguam fraus mera, Sica manum,

Cælo invisæ, solo gens indignissima, Regum

Pernicie s, populi pestis & ira Deum.

Non quidem eo hoc dicimus, quod dubitemus, quin multi boni viri
in ordine ipsorum inveniantur. Miserandam tamen & horum cum
Alphonso de Vargas in Rel. de Stratag. Jesuit. c. XL. judicamus conditio-
nem, quod nulla a dissimilibus nota discernantur.

III. Verum relinquimus ἄρχοντομάχης tantisper, ἄρχοντομαχίας
considerandæ deinceps in ituri rationem. Magna res est & ampla, &
quæ vix in chartam angustam conjici potest. Quamobrem æquus le-
ctor etiam plura hic de ea non expectabit, quam per paucæ paginæ
capiunt. Ut tamen, quæ complexurus sim, constet, παιδία loco, quam
vir summus, *Hermannus Conringius* quibusque tractationibus præmis-
sam vult, præmoneo, bipartitam potissimum fore hanc dissertatio-
nem, ut prius explicata & confirmata summa principum circa sacra
potestate, quam petunt illi tantopere, rationes, quibus utuntur, spe-
ciosiores nullas esse ostendam.

IV. Est potestas illa principum facultas moralis res sacras, quoad exter-
num regimen admittunt, legitime administrandi ad salutem civitatis.

V. Ubi diligenter velim advertatur animus, de potestate nos, non
de potentia locutos. Quæ duæ res, ut Græcorum ἐξουσία & δύναμις, in
multa sunt differentia. Nam potentia circa sacra nihil morale dicit,
fed

sed vires tantum declarat vel jure vel injuria moderandi religionis negotia. Quæ cernitur in Præfulibus Romanis superioribus fuisse seculis, quippe qui per execrationes hominesq; sibi addictos tantum valebant, ut ex suo nutu omnia in Ecclesia regerentur. Quod regimen, vi tum ereptum regnorum rectoribus, adhuc magnam partem tenent, ita tamen, ut potestas ipsis ea, quam sibi etiam arrogant, nunquam asseri potuerit. Hæc enim fulcitur jure, imo sapissime juris nomine appellatur. Vulgo quippe etiam hæc majestatis particula, de qua quæstio est, *Jus circa sacra aut religionem, Jus Episcopale*, a quibusdam *Jus patronatus regum* dicitur, quo vid. *B. Zieglerus de. J. M. l. i. c. XIII. §. 26. Jus sacrum* nominat *Gisbertus Voëtius lib. I. Pol. Eccl. Tr. II. c. I. p. 117. Auctoritatis* vocabulum etiam non ineptum esse, quod huc afferatur, confirmat inscriptio *Tractatus de Auctoritate & officio circa sacra Magistratus a Conringio* editi. Nec insolens est prudentiæ civilis scriptoribus vox *Imperii circa sacra*, quod docet *H. Grotii posthumus de Imperio summa: um potestatum circa sacra Commentarius*. Sicut vero in his appellationibus est nulla, in qua non vis insit sufficiens ad id, quod volumus, significandum: ita potestatem Ecclesiasticam tantum abest, ut æque late patere pronunciemus, ut partem illius juris tantum denotare statuamus, propterea quod etiam populi non Christiani scepra venerentur, atq; a Principibus in religionis suæ negotiis gubernentur, qui sunt extra Ecclesiam. *Imperium spirituale*, si a materia ratio, non ab agendi modo ducatur, dici posse, judicant nonnulli. Nos appellationem ab usu accuratius loquentium abhorreere & periculosam, proptereaque averfandam censemus. *Potestatem autem Principum* cognominamus, ut in promptu sit differentia ab ea potestate, quæ Presbyteris est in sacris.

VI. *Facultas moralis*, per quam etiam *Grotius de J. B. & P. l. i. c. III. §. VI. & Job, Semplerus in Id. Theol. Leviath. dogm. XX. X. p. 235.* potestatem civilem describunt, quid sibi velit, is omnium facillime perspiciet, qui naturalem, quæ illi opponitur, & unde illa multum lucis mutuare potest, cognitam habuerit. Dicitur facultas naturalis a principio, ex quo originem habet. Vicissim morali moralis est causa, leges nempe, per quas ad homines pervenit. Jam vero me tacente clarum ac manifestum est, civiles leges non intelligi, quibus Princeps eximitur omnium, qui probe rem expenderunt, sententia. Harum enim cum ipse

ipse auctor sit, absurdum foret dicere, ab illis auctoritatem suam accipere. Lex divina ac naturæ potius est, quæ tali facultate instruit imperantes, ut sacra gubernare libere queant. Facultate naturali scilicet consequimur, ut agere possimus, morali, ut honeste possimus. Inde fit, ut multæ actiones, quæ humanas vires nõ transcendunt, pro *ᾠδὸν αὐτοῖς* habeantur, *juris* ut loquitur *Robertus Sanderson de Obl. Juram. prel. II. n. 12. impossibilitate*, sive quod excedunt facultatem moralem. Nam, quæ sententia gravissima est *Exc. nostri Röhrensee in Annotatis ad Pufend. lib. de Off. H. & C. c. II. §. 8. Aq. impossibile est bono cuiq. quod fieri non debet, & quod fieri non potest; neq. omnino possumus quidem, quicquid honeste non possumus.*

VII. *Originem* illius potestatis, ut omnis Majestatis a Deo esse, nemo adhuc, nisi memoria fallit, negare est ausus. Licet in eo nondum consentiant, qui res civiles docent, utrum per alios, an nullo interveniente detur. Nam permulti affirmant, eos primo, qui in societatem coiverunt, divinitus accipere illam, quam postea ex arbitrio vel sibi retineant, vel in optimates aut unum Principem conferant. Hanc sententiam fundamenti loco supposuit *Jacobus Miltonus in Defensione populi Angl. c. II. & seqq.* quicum faciunt *Lamb. Danaus Pol. Christ. lib. I. c. IV. & Junius Brutus in vindiciis contra Tyrannos p. 192. seqq.* Verum hoc pacto parentes imperantibus superiores dicant ordine naturæ, necesse est; Principesq. non tam Dei, quam eorum, qui subjecti sunt, vicarios esse. Explicent denique, ubi sit illa in bello aut hæreditaria successione traditio. Laudanda igitur eorum fides ac pietas, neque ad principis tantum voluntatem, sed ad veritatem fecisse existimandi sunt, qui in homagio præstando nummum exhibuerunt, in quo manus coronam, potestatis regiarum signum, per nubes porrigens conspiciatur cum Lemmate: A DEO DATA. Quamobrem nemo nos postulet temeritatis, quod *B. Zieglerum de J. M. l. 1. c. 1. §. 46. & Exc. nostrum Morum Doctorem sequentes a solo Numine caelesti* illam circa sacra potestatem *immediate* arcessamus.

VIII. Salutem civitatis intendere illud circa regionem imperium, hac luce clarius est, cum omnis, quæ principibus eorum potestas, liberaliter & legitime administrata, eo spectet, ut bene sit, quibus imperatur. Id quod optimi quique non ignorarunt, quorum sapientissima fuit vox: PRO DEO ET POPULO. Illud vero non æque planum est, an eam tantum, quæ hac vita terminatur, felicitatem curet, an

an ulterius etiam & in sublimiorem quoque illustrioremque illam
feratur. Tranquillitatis & quietis, imo aliorum plurimorum maxi-
morumq; bonorum fontem esse religionem recte institutam, ne illi
quidem negarunt, quorum minus pia de Deo est sententia, quia in-
telligebant, etiam superstitiosas de rebus divinis opiniones aptas
natas esse ad conciliandam imperantibus auctoritatem servandam-
que inter hos & populum sinceram concordiam. Neq; aliter senti-
unt, qui in regnorum prospere feliciterque administrandorum arte
tradenda utilitatis speciei nimium tribuentes honestatis dignitati
derogant, nihilq; adeo faciendum iudicant, nisi quod facientis inter-
futurum sit. *Machiavelli verba sunt clara Discurs. supr. Liv. lib. I. cap. II.*
Considerato ad unq; tutto, conchiudo, che la religione introdotta sia intra
le prime cagioni della felicità di città. Sic non nemo, si cætera parum ve-
ra fecernas, scite philosophatur: Religione nihil fortius, nihil utilius, nihil
deniq; melius in republica est. Ista discordia repellitur, vitia extirpantur, vir-
tus colitur, fœdera firmantur, imo est unicum stud, per quod regna stant, &
res publica coherent. Itaq; hoc quidem disputandum fuisse non videtur,
isthuc esse dirigenda sacra, ut res publica floreat vigeatq;, ut tuta sit &
quam maxime abundet rebus ad cultum victumq;, & ad omnem
adeo vitam necessariis, seu ut Cicero ad Attic. lib. VIII ep. XI. effert, ut o-
pibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Nihilo magis
opus est exponere, dari religionem, quæ amplius, quam hac in vita,
beatos reddere queat. Sed hoc aliquid habet disceptationis quæ-
stionisq; eane potestas civilis, quæ versatur in administrandis illis sa-
cris, eo convertenda sit, ut tales evadant cives, an hoc alii ordini at-
que uniuscujusq; curæ relinqvendum sit. Ad hoc statuendum non
improbabile extat argumentum, statum illum beatum, qui post
hanc vitam expectatur, longe supra omnem naturalium rerum se-
riem esse posurum, ac propterea ab illa potestate non attingi nec pro-
duci. Nec postremo loco habendum est, quod aiunt, potestatem il-
lam non necessario conjunctam esse cum verorum sacrorum cogni-
tionem. Imo posset obtendi pervulgatum illud & commune pronun-
ciatum, summum bonum πολιτικόν consistere in publico & perfecto
virtutum exercitio & efficere, ut hæc vita commode degatur Sed non
dubitabitur, quin potestas talis etiam majorem, quam humana fors
in terris fert, felicitatem spectet, si cogitetur illam non dici producere
tam

tam magnum bonum, verum adducere modo, five, ut expressioribus
scholarum verbis efferam, non formaliter neq; efficienter, sed tantum
pedagogice esse ordinatam ad illum finem. Vid. Hulsem. Brev. cap. XX. §.
VIII. Atq; hanc etiam fuisse causam prudentissimis viris, quod in tra-
dendo disciplinæ civilis sine nullam istius felicitatis mentionem fe-
cerint, verisimile est. Existimabant enim, quia ordo sacer illum uni-
ce proxime & formaliter produceret per modum causæ instrumentalis,
illi potestati præcipue & Theologiæ eum reservandum esse, ne er-
rorum daretur occasio. Veræ religionis notitiam ipsi negamus esse
de natura potestatis illius, ad ejus tamen perfectum & absolutum
exercitium eam affirmamus esse summe necessariam, & quæ abesse
nullo modo possit. Manet itaque hujus & æternæ vitæ beatitudinem
propositam esse ab ejus auctore Deo huic juri circa sacra. Tametsi
vero Tullius l. c. curam, ut vita civium beata sit, moderatori reipublica, tan-
quam opus maximum inter homines atq; optimum commendat: tamen
Grotius de Imp. Summ. Pot. st. circa sacra c. I p. 16. (qui liber alicubi quidem,
ut judicat Bæclerus, non autem hic ultimam desiderat manum) rectius
finem primum atq; præcipuum potestatis illius esse docet, circumspi-
cere, ut æternum quoque beatus sit populus. Atque ad illud respexe-
runt etiam gentiles in sacris. Calculum & enim nostrum Svarazio ad-
dere nulli dubitamus, ita adversus Thomam & Cajetanum dispu-
tanti: Videntur quidem hi existimasse, omnem in gentibus illis Legistorum
curam de Religione nihil aliud spectasse, quam pacem publicam, sed hoc ita
præcise sumtum non modo probatu difficile, sed vix etiam credibile est.

IX. Ea, in quibus hoc jus versatur, sunt res sacra, verum non omni
modo, sed quoad externi regiminis capaces sunt. Quod Constantinus M. ap.
Euseb. de vita ejus lib. IV. c. XXIV. docturus fuisse videtur, Episcopis di-
cens: Vos intra Ecclesiam seu templum, ego extra Ecclesiam, a Deo Episcopus
sum constitutus. Quam vocem etsi calumniose pervertunt Triglandus,
Pet. us de Marca, Revius alique: nostram tamen veriore esse sen-
tentiam, gesta Imperatoris illius arguunt. Quo fit, ut dispertiat
potestas Ecclesiastica in internam, quæ Sacerdotum, & externam, quæ
Principum est. Hæc melius intelligentur, si observetur aliquanto
latius patere sacrarum rerum notionem. Nam aliquando significant
capita doctrinæ religiosæ; tum actiones sacras easq; vel communes,
exempli gratia apud Christianos usum sacrae cœnæ, auditum verbo di-

B

vini

vini, vel ordini sacro proprias, ut sunt concionari, administrare sacramen-
ta, absolvere; Denique ea, quæ ad religionem & cultum ordinantur, quo
spectat congregatio Conciliorum ac Synodorum, leges de ritibus Ecclesia-
sticis & plura alia. *Sacra primi atq; alterius generis secundum se non subsunt*
imperio summo civili, quoniã soli Dei est præscribere credenda & actiones
istiusmodi: subsunt tamen quatenus introducenda, constituenda & confer-
vanda, aut, ubi opus est, emendanda & corrigenda sunt. Minime igitur tole-
randi sunt Hobbius & Spinoza mire hic omnia turbantes, qui sacras illas res
etiam simpliciter sub Principum imperium dicunt cadere. Ita enim ille in Le-
viath. c. XXXIX. Ecclesia, cui potestas est judicandi, absolvendi, condemnan-
di, aut actionem quamcunq; agendi, eadem res est cum civitate; Et civitas
ideo quidem est, quia cives sunt homines: Ecclesia autem, quia cives sunt
Christiani. Quare regimen temporale & spirituale verba inania sunt, intro-
ducta eo sine, ut propter duos status apparentes minus cognoscerent homines, u-
tri eorum obedientiam præstarent. Hic Tract. Theologico-Pol. c. XIX. p. 214.
Religionem putat vim juris accipere ex solo imperantium decreto & Deum nul-
lum singulare regnum inter homines habere, nisi per eos, qui Imperium tenent.
Et in Tractatus hujus præfatione scribit, eos, qui summum imperium tenent,
solos jus habere discernendi, quid justum, quid injustum, quid pium, quid impi-
um sit. Illi nihilominus peccant, qui sacras illas functiones pastorum forma-
liter asserere Imperio Principum cupiunt, sicut. Nicol. Vedelius, Professor
Groeningensis Diss. de Episcopatu Constantini M. quæst. III. Sic enim po-
testas interna cum externa confunderetur, quod nefas est, licet concurrere
possint. Tertii vero generis sacre res omnium maxime hujus loci sunt, ex qui-
bus præcipuæ habentur convocare concilia, coercere falsos doctores. Con-
ciliorum decreta confirmare & exequi, Scholas & templa erigere, discipli-
nam inspicere, visitare, ceremonias ordinare, festos dies indicere, bona sacra
administrare, leges religiosas & Ecclesiasticas promulgare. Præterea vero i-
psos Sacerdotes subjectos voluit potestati huic sapientissimus ejus Auctor
& Architectus, non quidem ratione ministerii sui, sed in quantum societatis
civilis partem constituunt, Hoc ipsum circa ista sacra jus eo est liberius, quo
pauciora pacta intercesserint, & quo minus de religionis negotio conven-
tum sit. Vid. Ziegler. de J. M. lib. I. c. XIV. §. VI. VII. p. 266 seqq. Illustrat illa e-
gregie partitio actionum in definitas, hoc est, lege divina vel naturæ præ-
ceptas aut prohibitas, & propterea moraliter bonas atque honestas aut ma-
las turpesque; & liberæ sive indifferentes. Illæ pro & circa, non contra se ad-
mittunt imperium, hæc omni modo. Priores in alterutram tantum partem
deter-

determinari possunt, in quam definivit lex divina positiva & naturæ, posteriores in utramq; Quid vero si Princeps limites egrediatur & contra actiones definitas imperet? *Quid* (sunt verba B. Ziegleri lib. I. de J. M. cap. XIV. §. II.) *Quid*, inquam, si erroneis opinionibus jam occupatus Princeps falsam proposuerit religionem, num eam recipiendam putabimus a subditis? imo non erit recipienda. Pie æque ac vere Augustinus serm. VI. de verb. Dom. Si aliud imperator, aliud jubeat Deus, quid judicatur? major potestas Dei, da veniam, o imperator. Armisne resistendum? Deus vero prohibeat. Est adhuc princeps sanctus, majestate septus, quam vitium licet atrocissimum non extinguat. Nec unquam esset consecutura civitas finem suum, qui tranquillitas est si resistendi licentia obtineret. Periisse igitur omnino statuenda est illa, constituta republica. Nihil quidem antiquius & chariusve sacrorum veritate cui libet habendum, eam tamen non ferro ac veneno, sed exilio potius, fortunarum, atque adeo, nisi aliter datur, vitæ amissione asserere oportet.

X. Ex dictis ultro videtur manare, illius potestatis propriam naturam esse collocandam in jure sacrorum legitime administrandorum. Ad qualitatum enim ordinem illam potestatem revocamus, quod satis superq; ipsum potestatis vocabulum ostendit faciendum esse. Quo reminiscenda sunt, quæ jam supra fuere de potestatis significatione monita. Ad quæ ulterius explananda expediendaque illud subjicimus, recte quidem jura, quale & hæc potestas est, propter non unam similitudinem cum naturali potentia comparari, vehementer tamen allucinatos, nec paucorum errorum auctores fore, qui idcirco convenientiam perfectam, omnibusque numeris absolutam effingere, illamque rerum moralium conditione eximere velint.

XI. Nunc vero istis, quoad oportebat, evolutis, ad eam rem pervenimus, in qua totius quæstionis vertitur cardo, consideraturi, quinam sint ii, quibus sententia sanctissimarum legum mentibus nostris insculptarum illa ipsa potestas conveniat. Non male videtur hic affirmari, quod *Matth. Stephan. Discurs. Academ. ex Jur. publ. VI. p. 41.* notat, *ejus esse religionem, cujus est regio.* Nam nemo unquam, nisi coeca quadam præfulum Romanorum veneratione ductus, alii, quam iis, apud quos summa rerum in civitate est, auctoritatem cognoscendorum sacrorum attribuit. Inde patet etiam, non injuria Principem vocari *præcipuum Ecclesie membrum, Pastorem, Episcopum, Custodem utriusque tabule, Patrem, Ecclesie Nutritium.* Imo non postrema ratio exinde sumenda est, cur *Dei* nomine in scriptis sacris appelletur, cur *Speiatim Constantium* *ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ πρώτου ἐπιτομίου τοῦ ἁγίου πνεύματος* & *novæ* *ἡμετέρας ἐκκλησίας* adfuisse in Nicena Synodo, illarum rerum collectores *testen-*

testentur, sicut *Eusebius in vit. Constant. l. I. c. XXXVII.* cur idem *Ἰουλιανὸς*
λαο, Valentinianus & Martianus *incliti Pontifices* dicti; cur alii Imperatores
illa *Pontificis* appellatione etiam usi; cur Leo III. ad Gregorium, Ro-
manum Episcopum de se scripserit: *ὁ βασιλεὺς ἡγεμὸν εἶμι*; quam-
obrem Gregorius ipse vicissim ad illum scribens, Constantinum, Theo-
dosium, Valentinianum atque alios *Pontifices* & imperatores fuisse ajat; cur
Leo Romanus Episcopus eos, qui ex Francis imperarunt, *Pontifices* etiam
nominatim vocet. In recessibus Imperii Imperator appellatur *Advocatus* &
Summus Ecclesie Praefectus. In eandem sententiam Rex Hispaniae *Carolicus*,
Gallus *Christianissimus*, Angliae vero Rex *Defensor fidei* appellatur Vid. *Carp-*
zov. Capitul. Caesar. c. II. n. 6. & seqq. Azar Sturtz. Discurs. de una Religione
ib. XV. p. 24. Inter alios imperantium insignes & pulchros titulos est, quod
Vicarii & Legati Dei appellantur. cujus praecipuum officium est ejus, cujus
partes suscepit, honori & commodo velificari. Sicuti autem illa cognomina
omnia non quacunq; ratione quadrant in Principem: ita non immerito
haeremus, an ulla etiam *caput Ecclesie* recte dicatur, quando hic honor Ser-
vatori optimo Maximo soli videtur habendus, & praeterea disciplinae divi-
nioris doctores ullum negant dari Ecclesiae visibile caput. Audiamus ita-
que hos ipsos. *Wendelinus Syst. maj. lib. I. c. 28. f. 1308.* ita differit: *Quatenus*
caput pro eminenti & primario Ecclesiae membro accipitur, cujus praeter reliquis
membris prerogativa est insignis, quoad aliquos gubernationis actus, Magistra-
rus dici ἀναλόγως potest caput Ecclesiae. Quam explicationem equidem non
incommodam judicamus, modo vocis illius insolentiam magis emolli ret
atque mitigaret. Nihil omnino accuratius nostris dicentibus, caput in Ec-
clesia sive materiale, non Ecclesiae seu formale nuncupandum esse,

XII. Ne autem illa de Principibus Sacrorum etiam rectoribus fundamen-
to curere censeantur, attendatur (α) *eorum finis*. Is est universae communita-
tis civilis tranquillitas & salus, ac singulorum etiam beata vita. Quo referen-
dum illud *Ammiani: Nihil aliud est Imperium, ut sapientes desintunt, nisi cura*
salutis alienae. Jam vero ne oraculum quidem Delphicum declarabit, qui fe-
licitas illa obtineri aut conservari sinderat & integra queat, nisi religio, quae
beatissimos reddit homines, in ejus etiam potestate sit. Magnus mihi eris A-
pollo, si expediveris, qua ratione pax & concordia constare in republica de-
beat, si ejus moderatori non liceat motus, ex certaminibus religiosis crebro
exorientes sedare, partiumq; dissidentium causas inquirere, cum omnium
temporum historiae multum ac saepe referant, quanta bellorum incendia,
quam funestas caedes; quot urbium ruinas sola de ritibus sacris certamina
dederint. Tum porro (β) *ipsius potestatis summa natura* contemplanda est,

quæ cogitari non potest, nisi & religionis negotia ejus curæ commissa sta-
 tuamur. Nam cum hæc non possint subjecta esse nulli, quia ita sunt affecta, ut
 desiderant, qui ea prudenter & bona fide dirigat, necesse est imperio civili
 subesse, nisi aliud imperiū illi æquale fingere, duoq; summa in una republ.
 per absurde & contra rationem dicere velimus. Sapienter enim *Tertullianus*:
Ea est summi conditio, ut nihil aliud adæquet, nedum superet. Vid. Grotius de
Imp. S. P. circa sacra cap. I. n. 3, p. 4. seq. Administrandorum sacrorum quoq;
(y) adminicula idem insigniter confirmant. Nam cum armorum usus hic
 summe sit necessarius, ut leges executioni mandari, adversarii sacrorum ar-
 ceri, tumultuosi & turbulenti alienorum doctores compelli queant, illud
 statim consequitur, in eo quærendum esse externum religionis regimen,
 qui jus armorum tenet. *Exempla* denique (d) Principum et Regum Israeli-
 ticorum, Imperatorum Romanorum aliorumque Regum suo jure usorum
 valida nihilominus esse sentimus, illustre illud *Socratis* testimonium ex *lib.*
V. Hist. pref. usurpantes: Ex illo tempore, quo Reges Christiani esse cœperunt,
Ecclesia negotia ex illorum nutu pendere visa sunt; atque a deo maxima conci-
lia de eorundem sententia & convocata fuerunt & adhuc convocantur. De
 quibus sitne æquum dicere, quod scribit *Hieron. Cevallos in spec. aur. p. 897.*
 sanioris mentis homo judicet: *Licet in principio, inquit, nascentis Ecclesie*
imperatores hereticos & catholicos cognovisse legamus, in titulis de S. Trini-
tate, & fide catholica de Episcopis; illud contigit de facto, & per violentiam,
& tyrannidem, cui tum Ecclesia resistere non poterat. Cur, quæso, pro Tyranno
 non habetur Galliarum Rex, qui tamen Ecclesie suæ libertatem adhuc im-
 pune defendit? Habetur & legitur de ea liber Petri de Marca editus Parisiis
 An. 1663. frustra prohibitus Romæ, & Tractatus Guy Coquille. Nec dum
 Concilium Tridentinum universum publice promulgari in illo regno po-
 tuit. Vid. *Thuan. l. XXXVI. f. 683. & Hennig. de Imperat. Rom. potest. circa*
Sacra. cap. II. §. 10. p. 55. Taceo Venetos, qui se item non perpelli sunt pri-
 vari omni in sacra auctoritate.

XIII. Adumbravimus hæcenus, non expressimus (quo modo enim in-
 tantis angustiis liceret?) amplissimam religionis regendæ potestatem. Vi-
 dimus etiam proxime Dominos justosq; ejus possessores Principes. Hæc au-
 tem cum illa sit arx, quæ tanto opere petitur quatiturque, hostes atq; oppu-
 gnatores cognoscendi sunt. Dudum vero est, quod illos indicavimus. Si
 quidem sublexordium scripti hujus, quibuscum hic res sit Principibus, stri-
 ctim attigimus. Ea ne videantur præ se ferre calumniam, ipsorum oportet
 verba audiamus, ex quibus etiam melius, qua tandem sint mente, intelligi

possit. Etsi autem non injuria conquerantur prudentiores rerum Ecclesiasticarum interpretes, etiam eos imperatores, qui emergentis Christianismi ætate cum summa potestate fuerunt, nec omnino suis juribus cesserunt, fuisse nonnunquam paulo indulgentiores: Tamen cum primatus demum desiderio excitata est fere illius potestatis appetendæ cupiditas. Gregorius M. Romanus certe jam semina illius injusti dominii sparserat, qui affectanti id Johanni Constantinopolitano ita se opposuit, ut modestiæ suæ argumenta edendo subinde rationes miscuerit Majestatis tribuendæ Romano Episcopo. Itaq; verbo quidem servus servorum primus appellatus est, revera Domini dignitatem & honorem reservavit. Quamobrem Bullingero libro de orig. Err. in negot. Euchar. is videtur, qui Romanam Tyrannidem aut cepit, aut sane, ut à Bonifacio III. auspicaretur, occasio fuit. Subsequentibus deinde temporibus quietum non est, donec Calixtus II. quod quærebat, ut antea traditum, publice obtineret. At revertamur ad institutum. Paulus III. Pontif. superbissimos ad Carol. V. scriptas literas ita claudit: *Obtemperabis Dei monitis, si ita animum inducas, nullum ut in iis, quæ ad religionem pertinent, tibi jus & auctoritatem vendices. Si divinam institutionem & Ecclesiæ consuetudinem sequens ab ipsis conventibus Imperialibus, a quibus absunt, qui auctoritatem de ejusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de Sacerdotibus ac religione disputationes prorsus excludas, & ad eorum proprium tribunal rejicias; si de bonis Ecclesiasticis nihil statuas.* Hieronymi Cevallos sententia paulo ante relata. Rubrica cap. X. lib. 1. Jo. Mariana Jesuitæ de Rege & Regis institutione ita habet: *De religione nihil Princeps statuatur.* Sic Abrahamus Bzovius de Rom. Pont. c. 2. 15. 23. 24. *Romanus Pontifex est catholice fidei conditor, sacrorum dogmatum demiurgus, domus, quæ columna & firmamentum est veritatis, supremus paterfamilias; doctor universi orbis, civitatis sanctæ de cælo descendens princeps, navis melioris navarchus, & in summa, toto jure, omnibus & singulis Christi fidelibus sive singulariter discretis, sive in unum collectis, tam Imperatoribus, Regibus, Principibus, quam Patriarchis, Episcopis & reliquis pastoribus superior.* Nimirum Pontifici suo non hoc solum, sed & omne reliquum Regum Principumq; imperiû vindicare impudenter satis cupiunt. Adrianus IV. imperante Friderico I. Imper. circa annum 1159. ad Archiepiscopos Moguntinum, Trevirensis & Coloniensem scripsit: *Unde habet Imperium Imperator, nisi à nobis? Ergo per nos imperat. Imperator quod habet, totum habet à nobis.* Quod refert Aventinus liv. VI. Annal. p. 506. Sixtus V. in Bulla contra Henric. III. Franciæ Reg. contendit, se supremam in omnibus Reges & Principes universæ Terræ, cunctosq; populos & gentes, & nationes

nes non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere. Hic est, qui omnia Bellarmini opera prope abolevisset, quod indirectam in temporalibus Pontificis potestatem tantum tuerentur. *Vid. Hoornbeck. Exam. Bullæ Innocent. X. p. 277. & Guil. Barclai de Potest. Papæ in Principes c. XIII. p. 101.* Quod Imperium sic extendunt, ut nulla sub sole gens inveniat, quamvis barbara & à Christianis sacris aliena, quam illud, eorum opinione, non complectatur. Alexander VI. tanquam donum suum, provincias novi orbis Castilianos inter & Lusitanos partitus est an. 1493. Quam donationem cum referret Regi Peruano Attabalibæ Monachus Dominicanus, Vincentius de Valle viridi, risit Pontificis arrogantiam, quod est apud *Benz. part. VI. Hist. Nov. Orb. l. III. c. 3. p. 7. 6. & 8. 6. seq.* Bulla donationis extat ap. *Fr. Lopez de Gomara l. I. hist. General. c. 19.* Quanquam vero iste barbarus recte contempsit præmaturum illud jus, neque alii gentiles reges unquam admiserunt: tamen, nescio quomodo, effectum est, ut Papa à Regibus Persarum in Diplomatis Vicarius Christi, summus Pontifex & maximus Potentatum Christianorum, ut legere licet in Actis Erud. Lips. Anno 1684. mens. Octobr. pag. 442. & à Turcis Rex Francorum nominetur. *Vid. D. Hoe Parasc. ad Solemnit. Jubil. Evangel. Conc. III. p. 53.* Illorum vero summa est, Papam Deum esse, Principes vero nihil plane potestatis in sacris habere, nisi aliquam tantum Advocatiam & protectionem, quam ad invidiam vitandam inviti concedunt, sed directam tamen tantummodo contra fraudes, turbas & mala Ecclesiæ imminetia, eamque ex arbitrio pontificis suscipiendam. Nam ex ejus privilegio vel indultu aut etiam ex inveterata consuetudine Principibus competere haud obscure profitentur. Quam eorum mentem colligit *B. Ziegl. de J. M. lib. I. cap. XIII. §. XVI. seqq.*

XIV. Ad expugnandam autem illam potestatem mirum videri poterat quibusnam uterentur armis, quando quidem insignibus & singularibus opus est ad hujusmodi conatum. Sed qualia & quam fortia sint, facile suspicabitur, qui tenuerit, non ratione eos primum, sed arrogantia tantum facinorosos esse, posteaque ne inermes bellatores putarentur, conquisitis omnibus quasi ferramentis, sese adversarius stitisse. Disputant (α) si in Principum personas collatam a jure illam, de qua dudum loquimur, potestatem, tolli omnino inter ordinem civilem & sacrum discrimen & periculosam politicæ & Ecclesiasticæ potestatis introduci confusionem, quod minime committendum. Quod si ita esset, non parum causæ, fatemur, haberent illius juris defensores, ut cederent. Quis enim ausit negare, status diversos divinitus institutos & suis quemque terminis definitum esse, ita ut hos qui egrediatur, civitatem

vitam

vitatem bene constitutam perturbet, ejusque actiones impediat? Et non minus καλοῦ ποταμίου, quam πεπονημένην damnandam esse, nemo nescit. Quæ circa viri præstantissimi ex instituto internæ & externæ potestatis Ecclesiasticæ discrimina ostenderunt. Atqui hæc ipsa sunt, quæ nos omnis confusionis absolvunt, quippe quibus nihil magis propositum est in vindicanda illa potestate, quam ut utriq; muneri, Civili & Ecclesiastico, suæ constarent partes, neq; , uti ab ipsis factum, miscerentur. Id vero si non capiunt, quomodo illud circa sacra imperium cum civilium rerum regimine queat conjungi discant, quæ ratione eodem summo imperio diversissima jura, eaq; adhuc distincta contineantur v. c. legum ferendarum, monetæ eudendæ &c. Facera capita! In potestate Pontificis πανευρωπαϊκῆ putant consistere posse omnia omnium rerum imperia discrete & sine permixtione, in Principibus non æque. Scilicet in ipsis oleum est potestas circa sacra absoluta & communis, quæ innatæ, non miscetur ignobilioribus humoribus, in eodem vase existentibus. Quibus similia esse jura summorum Principum non obscure dicitant. Sin hoc superet illorum intelligentiam, quomodo in eadem re versari sine confusione possit externa illa & interna potestas: Sapientiæ disciplinam exquirant, in qua pleræque scientiæ unum considerant objectum, servata optima illarum distinctione. At enim (β) non sunt vicarii principum pastores Ecclesiæ, neq; negotia sacra illorum nomine peraguntur, ut ita iniquum videatur, imperari exempli causa concionatori ab eo, cujus non est concionari. Sed habent hic, quod ab Aristotele discant, qui Architecti partes explicans, dicit eum mandare recte fabris lignariis, ferrariisq; licet faber non sit. Ita enim etiam Princeps, cujus potestas est architectonica, civibus cujuscuq; generis recte imperat opera, quæ natura sua & muneris emanatione non pendunt ab imperio. Est quidem ita, subjacent illi aliqua & natura & ordine, atque ab eo, cui subjacent, ut effecta à causis emanant v. c. munera Præsidum, Præturæ, consulatus & cæterorum Magistratum. Verum non excludenda statim ea, quæ ordine tantum subjacent, uti Pastores, & artifices. Paucis, principes artes non docent, sed imperant artificibus, ut faciant, & ut bono ordine faciant. Affine huic est, quod dicunt (γ) Principem de essentia Ecclesiæ non esse (ita enim loquuntur) hoc est, si augurari licet, Ecclesiam posse esse sine summa potestate. Sciunt vero, nec de essentia Medicæ, mercatoris & privatorum quorumlibet esse. An vero imperio summo subtrahendos quis affirmabit? quasi vero essentialiter (licet imitari interea eorum linguam) potestatem superiorem & subiectos nexos esse oporteret. Minus vero eos juvat status Ecclesiæ primæ, quo Imperatores non curabant Christianorum sacra, sed vexabant, quam poterant, acerrime, quin potius Ecclesia sibi per trecentos annos in regimine suffecit. Nam ea tempestate utique Ecclesia erat sub potestate summa, eique libentissime in religionis negotiis recta imperanti paruit, neque unquam externo regimine prohibuit Imperatores, sed hi se ipsi potius excludunt. Cum (δ) dicunt Principem esse intra Ecclesiam, non supra eam, nihil plane proficiunt. Faciamus esse intra Ecclesiam tum Catholicam universalem, tum particularem tuarum provinciarum, quæ est ejus membrum: Manet tamen etiam constitutus supra Ecclesiam, quæ eam regit ac moderatur. Nec prodest iis (ε) denique regimen Pastorum in Principes. Vocis an biguitas tollatur, & absurde non dicetur idem regere & regi. Confer: Henr. Henniges de summa Imperatoris Rom. potest. circa Sacra

cap. 1, §. 14. & Hugo Grotius de Imp. S. P. circa Sacra

c. 11. §. IV.



94 A 7368

ULB Halle
002 928 582


3



10 17







POLITICIS
 TANTOMA.
 AN
 SACRA
 SIDE
 CRISTIANO
 CIO,
 Saxone, Alumno
 lectorali,
 as, cl^o Ioc XCVIII.
 inqvirendam
 xponit,
 CONDENS
 ANVS WENZEL,
 aynensis - Saxo.
 * * * * *
 MBERGÆ,
 ANO, Acad. Typogr.